Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

dyabolum qui veniet cum illis malis ad persecucionem fidelium et hii omnes operante in se dyabolo facti sunt in adiutorium filiis loth qui interpretatur declinans .i. in adiutorium satellitibus dyaboli qui a veritate declinaverunt

Isti ita disposuerunt contra te sed tu domine Fac illis sicut fecisti populis illis persecutoribus populi tui israel scilicet madian et sisare sicut iabin quos omnes miraculose debellasti pro populo tuo israhel iuxta torrentem cyson

Disperierunt iuxta fontem endor et facti sunt ut stercus terre / quia eorum cadavera computruerunt et remanserunt insepulta super terram

Pone .i. prosterne et disperge principes inimicorum christiani populi sicut oreb et zeb et zebee et salmana quos etiam miraculose debellasti per gedeonem et trecentos viros cum eo

Depone etiam domine Omnes principes eorum qui dixerunt ore et opere possideamus sanctuarium dei .i. populum tuum sanctum et hereditatem tuam /

Deus meus pone illos ut rotam ut in infernum celerrimo cursu devolvantur / et sicut stipulam ante faciem venti Sic stipula omni vento circumfertur / ita illi ubique dispergantur

Predicta mala senciant in presenti / in alia vero vita Sicut ignis qui comburit silvam ex magna potencia / et sicut flamma comburens montes ex ardoris vehemencia ita persequeris illos in tempestate tua .i. in iudicio / quod subito quasi tempestas veniet in die vindicte tue ostendens te eis iratum penam eternam eis inferendo

propheta postquam petivit dampnacionem malorum / modo petit conversionem salvandorum dicens Imple facies eorum scilicet persecutorum qui previsi sunt ad salutem ignominia .i. fac eos sibi et aliis ignominiosos videri et erubescant de peccatis et sic querent nomen tuum domine ut fiant christiani / qui antea erant obstinati

De malis obstinatis qui converti noluerunt ait Erubescant de turpitudine sua et conturbentur de penis duraturis in seculum seculi et confundantur in anima et corpore et pereant